…amnum ejus Spirituale vel Corporale, quod ex voto timendum
…bet.—
…jor bonum ex dispensatione oritur.—
…à Commutare votum in bonum melius et saluti suae, melius potest.
…quis metu, vel gravis mali pavet, valetne?
…, quia vovit coactus et non libere.—
…quis voveat exterius, et interius non habeat propositum
…plendi, valebitne tale votum?
…n: quia vovens habet contrariam ~~contra~~ intentionem voto, et
…cat mortaliter sic eludendo Deum.—
…letne Episcopus commutare Votum Castitatis ad eorum
…pus emissum et votum de non contrahendo?
…test, et in illis dispensare ex justa Causa, praeser=
… ~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio
…conversatione voventium
…a dispensans in voto castitatis, dispensatne in eo non tantum
…reilu… [illegible] …onii et actum ejus?
…pins… [illegible] …nsat, sed solum in parte se…

Chcący porwanych, ktorzy
iakąś nieprawość przyięli

Chcący ~~odkazujące~~ porwanych,
ktorzy sobie iakąś nie prawość
przyięli, teraz gwałtem zmierzaią się
za nim, aiżeby karą śmierci nie był
karany

DISSERTATIO MEDICA
DE
RATIONE ET EXPERIENTIA MEDICA

Quam

SUB UMBONE NUMINIS ALTISSIMI,

Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ

PRO RECEPTIONE IN EANDEM IN ACADEMIA PATRIA

Publico Eruditorum Examini sistit

PRÆSES

GEORGIUS EMMERICH,

Med. Doct. & Prof. P. Extraord. designatus.

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO CROCKISIO,

Stralsund. Pomer.

In Auditorio Majori

Horis solitis

Ad Diem Octobr.

Anni curr. M DC XCIII.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACADEM. TYPOGR. HÆREDUM.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI,
Supremis in Borussiâ Regentibus, ac Consiliariis
Status Borussici Intimis,
VIRIS
PER-ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS AC EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS,
DN. JOHANNI ERNESTO
à WALLENROD,
Summo Provinciæ Magistro
Hæreditario Domino in Pachollen / Preckelwitz / Altstadt / Königsee / Irgelack / Wilkienen / Neuendorff / Stollen / &c. &c.
DN. GEORGIO CHRISTOPHORO
Finck à Finckenstein /
Burggrabio supremo
Hæreditario Domino in Rogenhausen / Linckehnen / &c. &c.
DN. GEORGIO FRIDERICO
à Kreytzen /
Cancellario Eminentissimo, Supremique Tribunalis Præsidi Gravissimo.
Hæreditario Domino in Weßlinen / Pohren /
Wolffshöfen / &c. &c.
DN. OTTONI WILHELMO
à Perbandt /
Supremo Mareschallo
Hæreditario Domino in Litzken / Nauten / Greicheinen / &c. &c.
DIIS PATRIÆ TUTELARIBUS,
Musarum Patronis Maximis,
Dominis suis Gratiosissimis, Benignissimis
In debitæ gratitudinis Monumentum, Sui Patrocinium, studiorumq; commendationem, cum pio omnigenæ felicitatis voto
Pagellas hasce levidenses submissè offert.
GEORGIUS EMMERICH. D.

B. C. D.

§. I.

SCitè olim Rhetor Atheniensium clarissimus Isocrates, cujus domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus Orator & dicendi Magister Ciceroni dictus lib. de claris Oratoribus non longè à principio, in Oratione ad Regem Nicoclem: *Quod accuratè scire vis eorum, quæ scire convenit Reges, experientiâ aggredere & Philosophiâ. Nam philosophari vias tibi monstrabit sed in ipsis operibus exerceri, posse te uti rebus, faciet.* Quæ, licet Regi saltem tum temporis sint scripta, omnibus tamen hominibus, qui scientiâ imbui desiderant aut licet jam imbutos se sentiant, applicari merentur.

§. II. Et hoc præcipuum etiam est, quod in Medico requiritur ut quæcunque accuratè scire & efficere desiderat, non Philosophiâ solùm seu prudenti ratiocinatione investiget, sed & experientiâ suffultus rem aggrediatur, perpendendo, num eventus conceptibus suis ac rationibus ante inventis collectisque conformis respondeat, ne frustrà laboret, & rationes merè logicas cumulatas habeat i.e. tales quæ sine utilitate sine optato eventu aliquid vani â verâ distantis praxi, concludunt. Hinc omnes ferè Medici Veteres & Recentiores circà conjunctionem rationis & experientiæ maximè occupati adeò consentiunt, ut cum Plauto Captivit: Act. 2. scen. 4. Compacto rem egisse cunctos quasi in velabro olearii, dicere quis posset.

§. III. Olim equidem sub primordiis Artis Medicæ Experientia sola florebat; Cum enim homines primitus ægrotarent, necessitas illos adegit, ut remedia quærerent, undè Ægrotos ad compita, viasque publicas & ubi maximus erat hominum confluxus, deducebant, ex prætereuntibus sciscitaturi, quo remedii genere in ejusmodi vel huic simili morbo quon-

 dam

dam usi fuissent, ut illud ipsum & huic applicari posset, responsionem nacti benè observarunt, ex observationibus his creverunt experientiæ, quæ auctæ sunt partim casu partim divinatione partim insomnio, partim dæmonum invocatione, aliâque variâ ratione. De quâ re fusius Argenterius in Galen. Art. Comment. lib. 1. jactis per experientiam fundamentis paulatim de rationibus cogitare cœperunt, easque investigare allaborarunt.

§. IV. Ortæ indè variæ in Medicinâ Sectæ, & primò quidem Empirica, quæ posthabitis rationibus, nullo causarum, personarum, loci, sexus, aliarumque circumstantiarum respectu habito, solisque experimentis fidens, rem omnem confici morbosque tolli posse profitebatur, si remedia usu saltem probata applicaret: pluris hinc faciebat, quid morbum tolleret, quàm eundem generaret, plus oculis manibusque quam rationi tribuens, quemadmodum hoc ex Galen. 2. Meth. Medend. c. 4. & 5. item libro de Sectis ad eos qui introduc. c. 2. & lib. de subfigurat: Empiricor: c. 5. & c. it. lib. Medicus inscripto cap. 3 4. colligere est. Empiricam excepit Methodica, quæ in diversam à priori abiens sententiam certâ methodo, eâque nec longâ nec difficili totam artem brevi temporis sex scilicet mensium spatio à discente comprehendi posse audacter nimis asserebat. Asseclæ ejus spretâ consideratione partis affectæ, ætatis, virium, causarum procatarcticarum & similium, duobus vel tribus generalioribus contenti præceptis: Astricta solvere, soluta astringere & in misto urgentiori succurrere docebant, sicque officio Medici satisfactum arbitrabantur: Gal. Introduct. s. Medicns cap. 3.

§. V. Ambæ hæ à rectâ rationis semitâ deviæ ad saniorem mentem deductæ inque viam reductæ sunt à Dogmaticis, qui mediam viam ingressi nec solam experientiam infidam sæpè rerum Magistram admittere, nec soli rationi credere, utpote quæ

sine

ſine experientiâ vana & inanis, voluerunt, ſed experientiam cum ratione conjunctam baſin & fundamentum artis poſuerunt. Galen: lib. cit. de Sectis ad eosqui introd. c. 3. 9. Plura qui legere cupit de Sectis his Medicorum adeat Galenum in libris citatis it. lib. de opt. Sect. ad Thraſybulum. Corn. Celſum in præfat. lib. Primi. Mœbium in fundam. Medic. Phyſiolog. cap. 1. Ejusque Epitom. Inſtit. L. 1. c. 1. Ettmull. in Medico Theor. & Prax. inſtructo cap. 1. aliosque quam plurimos.

§. VI. Ab illis temporibus, quandocunque Medicina floruit, felix ſemper connubium rationi cum experientiâ initum eſt, nec unquàm rectè ſtantibus Medicinæ terminis, ad hoc usque tempus divortium ſunt paſſæ, ſed per univerſam artem adhibitæ, imo ſi omnes Medicinæ partes perſcrutemur, rationem & experientiam ubique maximum genuini Medici κριτήριον comperimus. Hæc fuſius aliquantum penſitare animus eſt, ità tamen ut in anteceſſum ab æquivocatione voces iſtas liberemus & quid propriè per experientiam, præſertim quid per rationem intelligendum veniat, explicemus.

§. VII. Sumitur verò vox Rationis multifariam, & eſt ex illorum genere, quæ multipliciter dicuntur; omnes autem ejusdem ſignificationes hic enumerare, uti non concedit inſtitúti ratio, ità nec pagellarum harum anguſtia eas caperet, undè quasdàm præcipuas adducere ſatis erit. Et 1. quidem accipitur pro intellectu ipſo ſeu facultate animæ potentiâque rationali, quâ homo diſtinguitur ab animantibus brutis & ſuprà reliqua animalia omnia elevatus Deo fit proprior. Sic Cicero lib. 1. de legibus. *Animal providum ſagax plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem præclarâ quadam conditione generatum eſſe à ſupremo Deo. Solum enim eſt ex tot animantium generibus atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint expertia, quid eſt autem, non dicam in homine, ſed in omni cœlo atq; terrâ ratione divinius? quæ cum adolevit atque*

 perfe-

perfecta est. dicitur ritè sapientia &c. It. libr. 2. Tuscul. quæstionum §. 47. Domina omnium & Regina ratio vocatur, Sumitur 2. pro ratiocinatione, quæ est rationis seu intellectus operatio seu ratio in exercitio constituta, uti Stephanus Chauvin lexic. philosoph. rationali notat.

----Hanc altâ Capitis fundavit in arce
Mandatricem operum prospecturamque labori
Claud. de 4. Consul. Honor

Pro definitione 3tio sumitur, ut homo simpliciter sic dictus & homo albus non differunt subjecto sed ratione vel definitione. 4. Pro modo methodoque tractandi: ut ratio dicendi 5. pro certis propositionibus aliquid probantibus s. pro argumentis ut: rationibus i: e. argumentis adduci. Denique 6. usitatissime accipitur pro Causâ s. eo quod aliquam causæ rationem habet, ut Cicero pro Aulo Cæcinâ: Nulla est ratio amittere ejusmodi occasionem. Plures significationes æquivocæ hujus vocis videri possunt in lexicis item in Distinct. philosoph. Ioh. Lud. Castanæi.

§. VIII Tam diversas significationes Experientiæ vocabulum non agnoscit, sed accipitur plerumque pro quadam cognitione, quæ nullo docente per usum contingit, s. uti Galenus Libr. de optimâ Sect. ad Thrasyb. c. 11. dicit: *Experientia est conprehensio & observatio eorum, quæ pluries circa idem visa & notata sunt.* Et Aristoteles lib. 1. c. 1. Metaphys. Experientiam ex memoriâ fieri asseverat, multæ enim ejusdem rei memoriæ, unius experientiæ vim efficiunt. Quæ itàque per experientiam nobis communicantur, eorum cognitio à posteriori saltem s. ab eventu, ab effectu, procedit, hincque distinguitur â ratione quod mediante hac plerumque â priori rem scire laboremus. Ad Experientiam verò sensuum externorum usus requiritur. Verum an his semper fides adhibenda, uti hujus hujus loci non est inquirere, ita ut paucis nos expediamus, dicimus:

cimus: quodsi omnia requisita ritè disposita adsint, non facilè in devias errorum vias abducere nos valent. Requiritur porrò sæpius repetita per sensus externos observatio ad rite expediendam experientiam. sensus itàque experientiæ ancillatur & licet ad illum unicus actus unicaque perceptio sufficiat, ad hanc v. plures requirantur perceptiones; nihilominus cum æque â posteriori s. ab eventu probet sine rationis adminiculo, opponatur etiam sæpius rationi ut ap. Arist. lib. 1. Metaph. c. 1. utique ad experientiam pertinebit, non aliter ac experimentum, quod unico etiam actu perficitur, si autem sæpius sæpiusque repetatur, oritur & exsurgit tandem experientia

§. IX. Quando itaque dicitur, quod Medicina duobus cruribus initatur, πείρα scil. & λόγῳ Experientiæ & rationi, innuitur, quod ejusmodi propositionibus sit superstructa, quæ ratione s. certis argumentis ex causis s. â priori (in omnibus equidem non æquè feliciter sed quantum possibile) petitis probari & postmodum experientiâ seu â posteriori & ab effectu comprobari possunt. Item, quando Medicus ratione ac experientiâ uti affirmatur, nihil aliud indigitatur, quàm quod Medicus certam ratiocinationem ineat discursumq; in animo formet, causas inquirat, ex signis eorumque collectione tum diagnosin non negligat, quam prognosin instituat, curationem pro varietate circumstantiarum, ætatis, sexus loci, vitæ conditionis &c. variet, & remedia certâ ratione probata adhibeat. Deindè experientiam consulat, non vana & inania proponat, non cum eventu minimè correspondentia admittat; sed sensu effectuque evidentia usurpet, dulcique harmoniâ experientiam rationi jungat.

§. X. Quemadmodum duobus incedere pedibus facillimum, uno v. aut altero crure amputato, claudicare oportet hominem, ità nec ratione, inquit Septalius in Animadvers. & Caution. Medic. l. 1. §. 24. p. 8. in curandis morbis Medicus so-

lum nitatur, nec usu aut nudâ experientiâ. Claudicat enim Medicus, alterutro horum crure destitutus; Ratio igitur ab experientiâ incipiat & in eam desinat, experientia autem Ducem habeat rationem & in eam denique terminetur, Utra enim per se indigens, altera alterius auxilio eget. H. I. Duobus fulcris Machina quædam firmius insistit quam uno & duobus oculis multò felicius cernere possumus quàm altero excusso, sic Ars Medica rectâ ratione & verâ experientiâ ut fulcris robustissimis statuminatur. Et Medicus ratione lucem præferente & experientiâ comprobante ut duobus ocellis clariùs tenebras errorum dispellere evitare, & veritatem introspicere valet.

§, XI. Quamobrem, cum per omnem Artem Medicam primatum obtinere rationem & experientiam dixerimus, paucis dispiciemus, quomodo in singulis id præstent Medicinæ partibus, Medicumqne in considerationem sui trahant- Et primò quidem in physiologiâ, quæ tractat res secundum naturam in rebus naturalibus diversimodè notandas, res autem illæ secundum naturam sunt effectus, qui â naturæ bonitate dependent & vocantur Sanitas-, Causa & Effecta s. Accidentia sanitatis. Videatur clariss. Bruno in Dogm. Medic. gener. parte I. cap. I Et Sanitas præsto est si causæ rectè procedant, & œconomia animalis ritè se habeat, undè συμβεβηκότα actiones scil. Integræ & cœtera rectè consequuntur, Quæ omnia in Physiologiâ vulgò tradita ratione & experientiâ demonstrantur. Argumentis enim & â priori evincitur positâ causâ, omnibusque ad illam necessariis poni etiam effectum. Effectu ritè se habente subsequntur etiam immediate ejus accidentia; Deindè â posteriori s. ab eventu ad oculum sæpè demonstratur præsertim ex Anatomiâ Vivorum, veritas dictorum. Ut eò felicius connubio stabili jungantur Ratio & experientia in Physiologicis, Physica & in hac Anatomica Notitia Physiologiæ Medicæ adjicitur, & quàm bellè corpus humanum ejusque Oecono-

conomia in ſtatu naturali ſe habeat, ratione & experientiâ docetur. Ut etiam hæc eò melius concipi queant, in ſubſidium aliæ ſcientiæ, artesque mechanicæ trahuntur, probaturque ex hydraulicis fluxus & refluxus fluidi vitatis & animalis, ex pneumaticis arduum Reſpirationis negotium, motusque ſanguinis fermentativus, ex Mechanicis partium fluidarum diſpenſationes & ſecretiones, ſolidarum motus, earumque maxima firmitudo, in attollendis præcipuè vel maximis graviſſimisque ponderibus. Conſuli de his poſſunt incomparabiles Naturæ Myſtæ Robert Boyle, Borellus, Bohnius, aliique paſſim in ſcriptis ipſorum. Et hæc ratione ſaltem ſ. in Theoriâ propoſita tot tantisque luculentiſſimis exemplis, curioſiſſimis experimentis, pretioſiſſimis tentaminibus, laborioſis etiam Anatomiis ſectionibusque artificioſis tùm cataverum humanorum tùm animalium brutorum viventium comprobantur, ſicque nihil intentatum relinquitur, quod pro ratione ac experientia Medicâ ſtabiliendâ facere poſſit.

§. XII. Et omnia hæc tàm operoſè perquiruntur & indagantur, ut eò certius quid poſtmodum in ſtatu præter naturam ſ. morboſo quem Pathologia tradit, de morbo, cauſâ morbi & ſymptomatibus ſtatuminari queat. Ad uſum enim conferuntur hic in Phyſiologicis ante propoſita, demonſtraturque quomodo cauſa morbum producere, huncque ſymptomata ritè inſequi & concomitari inſtar umbræ corpus poſſint. Ratio hic adeò ornat Medicum ut luculenter pateat, quantum diſtent æra lupinis ſ. quantopere Rationalis praxi & Theoriâ inſtructus Medicus diſtet ab aliis, Empiricis ſcil. & nauci hominibus, qui illotis ut dicitur, imò ſpurcis & ſpuriis rem Medicam aggrediuntur manibus ſecundum vulgatos verſiculos.

Jactant ſe Medicos, quivis Idiota, ſacerdos
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus
Miles, Mercator, Cerdo, nutrix & Arator
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus

Qui

Qui (exceptis tamen meritò excipiendis) nescio quam sæpius in morbis Æthiologiam afferunt, ratione & experientiâ destitutam. Cum è contrario Medicus rationalis notitiâ structuræ partinm aliarumque necessariarum rerum beatus, causas & rationes cum experientia Anatomicâ convenientes dare possit, (undè scil. hoc vel illud phœnomenon originem ducat, quomodo & per quas vias eliminari queat;) sicque magis methodicè curationem posteâ suscipere.

§. XIII. Nec Semeiologia s. Doctrina, quæ de signis agit, rationem & experientiam respuit, mediantibus enim his signorum collectio instituitur, certa ab incertis, vera â falsis, conjecturalia â Pathognomonicis distinguuntur. Docent illæ, quantum subsit veri in sphygmologiâ quâ ratione scil. pulsus intermittens & ad tempus deficiens, imò ad sensum abolitus sæpius non malum, nedum lethale præbeat signum, uti nec magnus statim indicet bonam corporis constitutionem; quàm latè pateat Uromantia, quid scil. & quantum adeò decantatæ hodienum divinationi ad matulam sit tribuendum & quantopere illi, qui in omnibus quibuscunque morbis sine discrimine certam diagnosin, certumque prognosticon ex inspectione urinæ eruere laborant, fallantur & fallant imò τῆς ἐλπίδος καὶ τῶν πραγμάτων ἀποτυγχάνοντες ἐξαπατῶντες καὶ ἐξαπατηθέντες. Spe & re frustrati, decipientes &. decepti i. e. in cassum laborantes ut habet Bruno in D M. G. pag 2. ità Ratio svadet, in febribus malignis necessariò urinam debere esse immutatam & â statu naturali s. sano declinantem sec. cit. Brun. lib. part. 3. c. 4. §. 12. Experientia autem testatur urinam febri malignâ laborantium sæpius urinæ sanorum esse simillimam. Sic Urinam nigram aliusque coloris tetri non terribilem statim Medico esse, nisi probè pensitatis circumstantiis aliis, ratio & experientia evincunt.

§. XIV. Maximè etiam celebrat experientiam rationi conjunctam Diætetica rerum non naturalium usum nobis sistens;

Dum

Dum enim ratio suggerit, ea in rebus non naturalibus dictis optima esse, quæ in se sunt bona, moderata, nullâque excessivâ vi aut qualitate prædita, mox experientia supponit, si cum consvetudine vivendique ratione etiam conveniant. Sic Ratio svadet: Aerem purum, sincerum, nullis peregrinis, tetris effluviis impraegnatum humano generi optimum, experientia mox limitat, illumque probat, qui unius cujusque hominis naturæ & vitæ statui convenit. Exemplum præbet Rusticus ille ap. Dieterichium in jatreo p. 1166. Item Nautæ in salsis acrioribusque oceani effluviis, felicius viventes, quam si fuerint in terrâ continenti, aliique ex regionibus dissitis huc advecti luculenter id testantur. Sic Ratio & experientia demonstrant, alimenta modicè assumpta fieri medicamenta, immodicè, maxima præbere nocumenta. Somnum largiorem præsertim meridianum cunctis non obesse. Affectus animi vehementiores & immoderatos dictos admitti interdum, dum moderati non sufficiunt; imò sanitatis gratiâ largius sese invitare quendam posse, & quæ plura heic Ratio cum experientia suggerit.

§. XI Porrò si unquam, certe in Pharmacia ratio & experientia requiruntur, quæ remedia tàm naturalia è triplici regno petita quàm artificialia, simplicia & composita cumulatim proponit; quemadmodum & Chirurgia, manûs ope auxilium ferens, ni rationem & experientiam Ductores & Comites nacta fuerit; omnia medicamenta, omnia remedia, cœcô consilio & nefariô ausu adhibita, erunt uti gladius in manu furiosi. Præsertim circà inventionem legitimamque applicationem medicaminis, nunquam ratio (si possibile) foret separanda ab experientiâ sed hæc potius semper illâ ferruminanda, dummodo facultas Medicamentosa essentialis satis nobis esset perspecta, modusq; operandi evidens, nec scire nostrum in hac Universitate adhucdum partiale existeret. Interim Ratio cum experientia, non dimetiendas semper esse facultates medicamentorum & qualitates secundum primas illas dictas, earumque gradus jam diu svasit

 Hippo-

Hippocrati lib. de prisc. Medic. sect. XXVI. 21. dicenti, Non calidum est &c. Confer. sect. XXIV. 20. it. XXX. 9. it. XXII. 2. ejusd. libri.

§. XVI. In Therapeuticâ denique partium Medicinæ omnium nobilissimâ & præcipua, cui & Hygieinam addimus secundum sanam rationem i. e. veram medendi methodum, (Arcanorum arcanum sec. Capivaccium) Indicationes â causis primariò, secundariò â viribus symptomatibusque procedendum, non neglectâ fidâ rerum Magistrâ Experientiâ; num, scil. animo concepta eventui sperato sint responsura, num primitus responderint. Indagatâ tandem causâ applicanda remedia non solùm rationi convenientia sed & usu clara & perspicua. Atque sic Ars in omnibus suis operibus, Medicus verò in cunctis actionibus suis Rationem & experientiam indivulsim, quantum tamen possibile, sibi commendatas habet, easque ut filum Ariadnæum sequitur, adeò, ut quæcunque Consulti hi facienda svaserint, faciat; quæ omittenda, omittat. Itâ enim non facilè in errorum Labyrinthum deducetur, sed ubique actionum suarum certus, intrepidè curationes aggredietur, ratione scilicet & experientiâ nixus.

§. XVII. Cum autem Medicum ratione & experientiâ debere esse instructum dicimus, dubitare quis posset: an Junior etiam Medicus præstare idipsum queat, ceu cui ratio firma adhucdum deest, judicium adest minus confirmatum, insuper experientiâ destituitur, quæ scil. uti & longis venit usus ab annis, undè concludi posse videtur, quod juvenis Medicus tantâ ad Medicinam faciendam ratione & experientiâ nondum beatus, praxin ritè aggredi non possit, donec grandævior factus rerum Magistram consalinam acceperit. Respondet Joh. Baptista Silvaticus Controvers. 43. p. m. 208. *Vulgus senes omnes, qui annosi sunt, junioribus præferendos esse credit; Sed non faciunt cani sapientiam aut rugæ, inquit Eloquentiæ Pater Cicero, sed ut cum magnâ doctrinâ multum usum conjungant.* Junge

Fran-

Francisc. Vallesium in Controvers. Med. Procemio libr. 8. Sed quid obstat, quò minus dicamus, juniores, per quos tamen non maximè juvenes, adolescentes aut pueros adhuc intelligimus, utp. quorum ætas omnia in majus & vehementius peccata facit, *omnia enim juvenes nimis agunt, nam amant nimis & nimio odio habent & alia omnia similiter, quippe qui se scire omnia putant & asseverant* inquit Aristot. Lib. I. Rhetoric. cap. 12. p. m. 436. sed jam provectiori ad virilem accedente gaudentes ætate, quorum indoles est, ut *neq. valdè confidant, neque nimis metuant, pulchrè ad utrumq. se habentes. Neque omnibus credunt neque omnibus non credunt, sed ex veritate judicant magis* sec. Aut. cit. c. 14. Et hæc sanè maximè requiruntur ad Medicum, ut scil. neque credulus nimis, neque nimis incredulus sit, sed *ex veritate judicet* & neque excedat, neque deficiat, sed, quod moderatum est ac conveniens eligat. Juniores ergò dicimus Medicos feliciori præditos ingenio, mentisque acumine præ Senibus, utpote magis refrigeratis, cum illi calidiores existant; eorumque judicium in vigore, senum autem in declinatione. Vid. mores senum loc. cit. cap. 13. Tum sat rationis habebunt juniores, si, cæteris paribus, legitimâ usu fuerint medendi methodo; Nullus insuper ad curandum praxinque exercendam admittitur, nisi legitimè de studiis & experientiâ ductu excellentiss. Medicorum acquisitâ, examinatus fuerit. Sed posito, non concesso: propriâ juvenem Medicum nondum gaudere, quid vetat, quo minus à fidis Præceptoribus, Conscientiosis Majoribus communicatâ commodè frui experientiâ, usumque Medicinæ genuinum tot seculis probatum, & hodiè variis experimentis illustratum, in actum deducere queat. Concludimus ergò. *Quod Patribus meritò meriti serventur honores,*
Atque novis maneat gloria sancta Sophis

§. XVIII. Verum enim verò, licet in genere & utplurimum Medicus in omnibus, quæ ipsi perficienda occurrunt, reminisci debeat axiomatis: Non, nisi cum ratione & ex-

 peri-

perientiâ; Hippocratem tamen suo jam tempore occlamantem audiet Aph. 1. sect. 1. ἡ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ κρίσις χαλεπή. Experimentum periculosum, judicium difficile. Quæ tamen explicari possunt quod si separatim sumantur experimentum & judicium, utique illud periculosum, hoc difficile existat, sed conjuncta certius quid concludere valent. Tum experimentum nondum constituit experientiam, sed demum si sæpius repetitum fuerit. Sciendum igitur, quantum possibile & utplurimum rationem & experientiam conjunctim in rebus Medicis esse observandas, universalitatem verò omnibus numeris absolutam obtineri nullatenus posse.

§. XIX. Sed cum Ratio sæpè vel deficiat, vel aliud svadeat, experientia autem contrarium probet, quæritur: Cui prærogativa attribuenda, fascesque præferendæ? Nonnullis Autorum â partibus Rationis stare placet, nos experientiæ potius litandum [in sano tamen sensu minimè Empiricis patrocinando:] putamus, sequentibus inducti rationibus: & 1. quidem, quod Ratio nostra imperfecta rerum omnium veras indagare causas & phœnomena ritè explicare secundum ipsam veritatem insufficiens existat, percipiat sæpè factum, sed verum operandi modum enucleare minimè valeat & cum nihil perfecti in mundo sit, nec illa de altiori perfectitudinis gradu sibi gratulari possit. Verum enim est effatum subtilis Scaligeri Exercit. 131. *Nos in luce rerum tenui caligare, in mediocri cæcutire, in majori cæcos esse, in maximâ insanire.* Et Galenus suo jam ævo exclamat: τὸ πάντα ἐν πᾶσιν ἐξεργάσασθαι φλύαρον. *Omnia in omnibus pervestigare velle, nugatorium.* lib. de totius morbi temporibus c. 5. 2. Quod Rationis effectus nullus sit in Medicinâ, nisi in actum deducatur, è contrariò Experientiæ effectus sensibus animadverti, oculis videri, manibusque palpari sœpe numero possit. 3. Herbis non verbis velint curari morbi, hinc in arte exercitato, licet rationem artis suæ tàm accuratè nesciat, plus fidendum quam puro Dogmatico s. tali, qui tantum ex ratione disputare & de morbis eorumque curatione sesquipedalia fundere novit verba. Rectè enim Galenus in hunc sensum: *Etsi multa sæpè comminiscitur ratio, ea tamen præter omnem spem*

eludit

eludit experientia hinc ex 6. Epidem. Comm. 5. text. 32. colligimus: Experientiam esse artium matrem, quâ rationes omnes dijudicantur. Conferatur optimè huc quadrans historia de Empirico exercitato, & alio quopiam Medico rationibus saltem utente apud Gal. lib. de subfig. Empir. c. 13. item Hippocrates Praeception. sect. 11. 14. &c.

§. XX. Experientiae praerogativa 4. inde probatur, quod omnis Medici intentio illuc directa esse debeat, ut efficiat s. ut opus post se relinquat, quod nihil aliud est quam sanitatem Ægro conciliet; si id per artem i. e. habitum cum rectâ ratione effectivum fieri potest, bene se res habet, si autem per artem fieri nequit [: cum in multis recta ratio vel desit, vel vacillet, vel contrarietur:] per aliud quid, quod simillimum arti est, tendandum; id autem simile arti *Experientia* audit. Uti pluribus testatur Aristot. lib. 1. Metaph. c. 1. *Experientia penè simile quid scientiae ac arti* esse videtur. *Per Experientiam autem ars & scientia hominibus efficitur. Experientia enim, ut rectè Polus ait artem effecit, imperitia casum &c.* Et paulò post. *Ad agendum itaq; nihil videtur experentia differre ab arte.* Expresse insuper 5. Aristoteles in hoc ipso capite fatetur, finem suum melius consequi qui experientiam habent, quam qui solam rationem. Sic enim loco cit. *Si quis itaq; rationem absque experientiâ teneat, saepè numero errabit â sanando it. quin imò videmus, expertos magis id quod intendunt, consequi, quàm illos qui rationem absq; experientia tenent.*

§. XXI. Quodsi 6. vel centum rationes adessent, hocce vel illud svadentes & experientia idipsum nondum comprobasset, tutò in usum vocare apud hominem non liceret, non enim experimenta facere cum periculo aut per mortem aliorum esset integrum, & sic omnes illae rationes incassum prostarent, ni experientia veras illas pronunciaret; Experientiae autem, dummodo verae, plus sane tribuendum Videmus etiam 7. quod hodienum plerumque post rem experimentis probatam rationes & causae pro stabilendâ eâ demum conquirantur. Et quid tandem tot tantique libri Observationibus & historiis repleti à tot retrò seculis nobis communicati, & hodierna Collectanea curiosorum Naturalium Scrutatorum, ac Ephemerides Eruditorum aliud agnnt, quam ut experientias in hoc, isto, illo visas & observatas conscribant, in simili casu olim in memoriam revocandas, Rationes autem post experientiam demum eruantur vel nullae planè, dum humana sagacitas illuc pertingere nequit, adducantur. Difficillimum denique 8. vel eruditissimo Medico foret, veram omnium ab ipso adhibitorum remediorum causam & genuinum operationis modum explicare aut morbi causam genuinam in quovis individuo enucleare.

§. XXII.

§. XXII. Cum experientiâ itaque tantisper facere licet, donec veras rationes tempus & occasio suppeditaverit. Scitè Ettmill. in præfat. Disp. de Præcipit. usu & abus. p. m. 171. *Præstat subinde, sæpè numerò etiam necesse est pro praxi feliciter exercenda, ut in Empiricorum castra, circum spectè tamen aliquamdiu se conferat Medicus, in casu scil. quo rationis certioris aut evidentioris destitutus est adjumento.* Et Joh. Bapt. Silvat. in lib. Controv. 43. p. m. 205. *Quoddam divinum, inquit, habere creditur experientia, quæ nonnulla certè verissima sensibus nostris sæpè objicit, quorum rationem reddere, omnino sit impossibile,* his tamen fidem omnem adhibendam esse Galenus voluit &c. Vid. loca perplura ex Galeno ibidem citata. Pulchrè etiam disserit Sylvius in Disp. Med. Nonâ l. in primâ de febribus §. 27. & 28. *Nihil, inquiens, in Medicinâ vel naturalium rerum cognitione admittendum* pro vero, nisi quod verum esse ostenderit aut confirmarit per sensus externos experientia; quicquid enim ingenium etiam subtilissimum & sagacissimum excogitare potest, humanæ menti maximè probabile atque plausibile, id omne artem Medicam si spectet tantisper falsi suspectum esse Prudentibus debet, donec idipsum verum esse, hoc est tale quale fingitur, in rebus ipsis actu observari, manifestarit veritatis Magistra Experientia. Conf. §. 1. ejusdem. loci.

§. XXIII. Concludimus itaque, salvâ interim aliorum, divinioris præditorum ingenio, sententiâ: rationem, si sumatur pro ratiocinatione s. deliberatione utique Medicum ubique adhibere oportere, in methodo scil. medendi, indicationibus rite administrandis, remediisque applicandis, ubivis enim circumstantiarum, sexus, ætatis, vitæ conditionis, consvetudinis &c ratio est habenda & tempora bene distinguenda. Si verò Ratio accipiatur vel pro causâ rei, vel pro modo operationis, licet hæc ad amussim perscrutari non valeat Medicus, qnod nihilominus in Medicinâ feliciter progredi queat; quamvis entm τὸ διότι semper non assequatur, sufficit ut τὸ ὅτι ipsi cognitum sit; In remediis præsertim adhibendis, licet hæc à priori demonstrari non valeant, verusque ipsorum operationis modus adhucdum lateat, nihilominus dummodo à posteriori sæpius comprobata fuerint, fides illis denegari non possit, Ità tamen ut *interdum* saltem per solam experientiam probata in usum vocentur remedia, utplurimum autem ea præsidia in curatione adhibeantur, quorum efficacia non solùm à posteriori s. usu sed à priori s. ratione probet.

Et sic rectè Ratione & Experientiâ utentem Medicum si non semper, utplurimum tamen optatus beabit

FINIS.

...uessit ...ditatis publicae, vel Ecclesiae ... postulanda,
...a potestne dispensare sine Causa?
Pontifex, non vero Episcopus: quia est supra jus
commune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
...inaret illum, quem certo sciret irregularem, ipso
...eo cum ipso dispensat. — in κονφεσιονε ατ εγο ε [illegible]

et S. Bernardus:
Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est,
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est.

quod si conditio sit de praeterito vel praesenti
certe natura remanet reservatum. —
causa parentum. —